

LIB. V. CAP. VII

Anacreon in oda quadam [14.] εἰς Ἔρωτα, postquam suam cum Amore pugnam narrauit, cuius is fuisset exitus, vt Amor, cum sagittas omnes consumfisset, sese denique pro telo in cor Anacreontis immitteret: addit tandem [v. 18. ff.], Ματην δ' ἔχω βοεῖην. Τί γὰρ βαλώμεθ' ἔξω, μάχης ἔσω μ' ἐχέσης; quos lepidissimos versus ita nos ex tempore vertebamus, *Frustra tenebo scutum. Cur muniamur extra, Intus vigente pugna?* Est autem hoc animaduertendum, βαλώμεθα non exponi *petamur*, aut *feriamur*, cum aliis, sed περιβαλώμεθα siquidem ita saepe apud poetas simplicia, quae vocant, verba pro compositis ponuntur. Et quoniam simile nunc ex Euripide occurrit exemplum: non grauabor apponere. In Medea enim inquit ad eam Iason sub discessum, Ὡς δ' κρινῶμαι τῶνδ' εἰ σοὶ τὰ πλείονα. Hic nimirum κρινῶμαι pro ἀποκρινῶμαι positum videmus. Iam Anacreon idem locum quendam Bathyllo volens commendare, postquam arborem frondosam laudauit, subiungit [odar. 22, 5. f.], Παρὰ δ' αὐτῶ ἐρεθίζει Πηγὴ ῥέουσα Πειθῆς· quibus in verbis corrupta vox ἐρεθίζει mutanda est in τερεθίζει· quod quamuis cicadarum sit, et cithararum, proprium, non inepte tamen ad murmur aquae perstreptentis transferri potest.